

et est relatio, qua refertur genitum ad generans. Ratione ergo mutationis non habet subjectum ipsum generatum, sed ejus materiam, sed ratione relationis habet subjectum generatum. In creatione vero est relatio, et non mutatio, et ideo non est simile. » Ita D. Thomas. Quare in generatione datur fieri, quod est mutari, et factum esse quod est terminus ex tali fieri resultans. Fieri quod est mutari si sumatur pro fieri dispositivo, sic manifestum est quod dispositiones antecedentes (quæ solum pertinent ad fieri, nam consequentes sequuntur ad formam jam factam) subjectantur non in ipso genito, sed in eo subjecto quod corrumpendum est, et via corruptionis vadit. Fieri seu mutari substantiale quod est in ipso instanti generationis, in quo materia transit de una forma substantiali ad aliam, habet pro subjecto materiam tamquam subjectum quo ipsius mutationis, et fieri, sed quia principium quo recipiendi non est sine aliquo principio quod, quia materia ad aliquod compositum pertinet, ideo in illo instanti reali actio illa, et causalitas generationis est in ipso genito tamquam in subjecto quod inhæSIONIS in re, quia subjectum quod non potest esse sola materia, sed compositum subsistens: sed tamen hæc ipsa mutatio, et actio quæ est in ipso composito, ut in subjecto, quod inhæSIONIS, est prius natura in materia, ut in subjecto quo mutationis, et hoc modo antecedit prioritate naturæ istud fieri, seu mutari quod convenit materiæ ipsum factum esse, quod est compositum, et forma, vel ejus unio et bene potest antecedere hoc fieri ex parte materiæ, quia materia per generationem non fit, sed supponitur; et sic potest esse subjectum quo mutationis. At vero in creatione etiam materia fit, et est terminus,

non subjectum. Unde neque datur subjectum quod, neque quo ipsius fieri, et mutationis, nec etiam sub aliqua prioritate, et antecedentia naturæ, quia nullo modo præsupponitur actioni, ut recipiat ipsum fieri ad hoc ut influat in factum esse; et sic non datur aliquod medium inter creatorem, et rem factam, in quo subjectetur ipsum fieri ad influendum in factum esse, sed totum quod ibi est, terminus est, et factum esse est: nihil vero est subjectum præsuppositum ipsius fieri. Et sic immediate totum ens factum est ab ipsa activitate agentis, et influxu ejus, ut ex parte Dei se tenet.

XIX. Dico tertio: Hæc relatio consecuta ad terminum creationis, qui est res facta, et producta a creatore, est relatio accidens, seu prædicamentalis, non relatio transcendentalis, seu quæ est ipsa substantia: inseparabilis tamen est ab ipsa creatura, nisi destruat ipsam ejus subjectum. Hæc conclusio est contra Scotum in II, distinct. I, quæst. V, quem sequitur Vasquez hic disput. CLXXIII, capite tertio et ducuntur eo fundamento, quia ista dependentia, seu relatio creaturæ ad Deum est inseparabilis creatura etiam de potentia Dei absoluta: ergo est indistincta entitative. Patet consequentia, quia signum indistinctionis realis inter duo extrema est inseparabilitas, etiam de potentia absoluta: ergo ista relatio entitative est ipsa substantia rei creatæ, et factæ ut dependens a Deo, quod est esse transcendentalis relationem. Et præterea, quia substantia est prior accidente tempore, et natura. Si ergo hæc relatio esset accidens respectu creaturæ, esset prior tempore substantia creaturæ quam relatio, seu dependentia ipsa a creatore, atque adeo posset intelligi tota substantia rei creatæ sine actuali dependen-

tia a creatore, quod est implicatorium.

XX. Oppositum tamen hujus tenet expresse D. Thomas in hac quæstione XLV, art. III in solutione ad III, ubi ponens argumentum quod relatio, si est accidens, debet esse in subjecto, si autem res creata est subjectum illius, idem esset subjectum, et terminus respectu actionis, quod est impossibile. Respondet quod: « Creatio significata ut mutatio habet creaturam pro termino, sed secundum quod vere relatio est, habet creaturam pro subjecto, et est prior ea in esse, sicut subjectum accidente. » Expressius in quæstione III de potentia, art. III ad III, ubi inquit, quod: « Illa relatio (scilicet creationis) accidens est, et secundum suum esse considerata prout inhæret subjecto posterius est quam res creata, sicut accidens subjecto intellectu, et natura posterius est, quamvis non sit tale accidens quod causetur ex principiis subjecti. » Et solutione ad septimum inquit, quod: « Id ex quo acquiritur relatio creationis principaliter est res subsistens a qua differt ipsa creationis relatio, quæ et ipsa creatura est, et non principaliter, sed quasi secundario sicut quid creatum. »

Ratio hujus est ea quæ insinuat in verbis adductis a D. Thoma, quia ista relatio non est aliquid causatum ex principiis subjecti, seu naturæ in qua est, et multo minus non est ipsa natura, seu substantia rei creatæ in se: ergo non est transcendentalis relatio, sed accidentalis superveniens: nam relatio transcendentalis est intima, et imbibita ipsi entitati, nec superadditur ipsi substantiæ rei, sed est ipsamet substantia ut ordinata per se ad alterum, sicut materia ordinatur ad formam, et e contra, caput ad capitatum, partes ad totum. Et potentia et actus per suam entitatem, et

specificationem se habent ad objecta. At vero substantia creata neque per suam speciem, et quidditatem est tendentia ad Deum, neque ex principiis ejus per necessariam connexionem oritur hæc relatio seu dependentia, sed accidentaliter creaturæ convenit, sicut esse ipsum existentia, et derivatio, seu participatio a Deo quæ libera est, et prædicatum contingens ipsius creaturæ: ergo relatio super eam fundata accidens est; et sic est relatio de prædicamento relationis. Non tamen potest hæc relatio destrui, nisi destructa creatura, quia relatio non desinit esse, nisi vel ex desitione termini, vel subjecti, seu fundamenti. Terminus non potest desinere, quia est ipse Deus; fundamentum non potest cessare permanente subjecto, quia est ipsa derivatio, et emanatio a Deo, quæ durat quamdiu creatura durat: ergo solum ex desitione subjecti deesse potest.

XXI. Est tamen advertendum, quod omnis relatio cum exigit fundamentum in suo subjecto, ratione cujus oriatur talis relatio, hoc fundamentum etiam debet assignari pro ista relatione. Et tale fundamentum, seu proxima ratio fundandi non potest esse aliquid omnino absolutum, et ad se, neque pure relativum, quod est ad terminum ut existentem, sed est sicut relativum secundum dici, quod in se quidem absolutum est, nec totum ejus esse est ad alterum, dicitur tamen seu explicatur per aliud, seu per ordinem ad aliud; quam distinctionem expresse ponit S. Thomas supra q. XIII, art. VII ad I, ubi inquit, quod: « Quædam nomina sunt imposita ad significandas ipsas habitudines relativas, ut dominus, servus, pater et filius, et hujusmodi; et hæc vocantur relativa secundum esse. Quædam vero sunt imposita, ad signifi-

candum res quas consequuntur quædam habitudines sicut movens et motum, caput et capitatum, quæ dicuntur relativa secundum dici.» Ubi vides, relativa secundum dici, vocari ipsa fundamenta relationum, id est, ipsa res ad quas consequuntur relationes : quæ quidem explicari non possunt omnino ad se, sed ad aliud, licet in se, et quod suum esse absolutæ res sint. Et ideo ista fundamenta licet accidentaliter superveniant subjecto in quo sunt, tamen in se, et intrinsece ordinem, et dependentiam habent erga aliud, sicut movens ad terminum, et ad mobile, et caput ut pars ad alias partes; ideoque in se respectus ille transcendentalis dicitur, et in idem coincidit respectu hujus fundamenti relatio transcendentalis, et secundum dici, ut etiam advertimus in logica quæst. xvii, art. ii. In creatione ergo, licet relatio illa fundetur in creatura ut existenti, et derivata secundum esse a Deo, et sic accidentalis relatio sit respectu essentialis, tamen ipsum factum esse, et ipsa existentia relativa secundum dici dicuntur, quatenus creata, et participata a Deo; et sic fundant illam relationem accidentalem. Et hac ratione creatura intrinsecam habitudinem habet ad Deum, sicut omnis effectus ad suam causam, quia hoc ipso quod se habet ad illam sub ratione causæ vel effectus, et non sub ratione puri termini respicit non secundum relationem prædicamentalem, quæ est secundum esse, sed secundum dici seu transcendentalem. Et ideo S. Thomas in verbis supra relatis ex quæstione iii de potentia, art. iii ad vii assignavit pro fundamento hujus relationis, ex quo ipsa relatio acquiritur, ipsam rem, ut subsistentem, id est, per se existentem et ipsam existentiam includentem, quæ utique tamquam prædicatum contingens se habet res-

pectu rei creatæ, de se tamen subordinata est ipsi agenti, ab eoque derivatur, et per ordinem ad illum dicitur relatione secundum dici, fundat tamen prædicamentalem respectum et accidentalem relationem, quia accidentale fundamentum habet.

Unde patet ad fundamenta Scoti et Vasquez.

XXII. Ad primum enim fatemur esse inseparabilem istam relationem a creatura non destructa creatura, quia ipsum non destrui creaturam, seu permanere in esse, fundamentum est hujus relationis, et terminus ad quem est ipse Deus, qui desinere non potest. Ex hoc tamen non sequitur esse idem, et non distingui realiter a creatura, quia inseparabilitas non est signum evidens indistinctionis, sed solum connectionis necessariæ, sicut in nostra sententia materia non potest spoliari omni forma, et tamen distinguitur realiter ab omni forma, et in sententia Scoti totum non potest separari, a partibus unitis, et tamen sentit ipse differre realiter ab illis; ut contra eum objicit Cajetanus in hac quæstione xlv, art. iii.

Ad secundum dicitur non requiri, quod omne accidens sit posterius tempore, seu duratione substantia in qua subjectatur, sufficit quod sit posterius substantia a qua efficitur, et aliquando etiam substantia in qua subjectatur sicut accidens separabile et adventitium non congenitum, quod autem substantia sit prior tempore omni accidenti in se subjectato, non est verum, cum substantia in ipso primo instanti suæ generationis habeat suas proprietates, ut sol lucem, ignis calorem, Angelus intellectum, ita ut nullo tempore inveniatur substantia sine istis proprietatibus, nec per unum instans. Est tamen aliqua substantia prior tempore seu duratione is-

tis accidentibus, nempe illa a qua effective processit substantia habens prædicta accidentia, quia ab eodem generante procedit substantia, et proprietates ejus.

CREATIO NON EST MUTATIO REALIS,
NEC DE PRÆDICAMENTO ACTIONIS.

XXIII. Expressa D. Thomæ scientia est rationem non esse mutationem, licet ad modum mutationis a nobis intelligatur. Docet id in hac quæstione xlv, art. ii ad ii: «Creatio, inquit, non est mutatio nisi secundum modum intelligendi tantum.» Et quæstione iii de potentia, art. ii idem ostendit.

Ratio hujus est, quia pugnat conceptus mutationis, proprius, et essentialis cum conceptu processionis et effectiois totalis ex nihilo, ita ut per actionem totum fiat, et nihil præsupponatur. Nam omnis mutatio vel supponit aliquod subjectum in quo formæ succedant, et transeat de una ad aliam, vel supponit terminum a quo, qui transit in terminum ad quem, sicut in conversione transsubstantiativa; et prima est conversio formalis, secunda totalis, quia in prima mutatur subjectum penes diversas formas; in secunda non solum forma mutatur, et convertitur in aliam, sed etiam subjectum convertitur in alterum subjectum. Manet tamen in utraque mutatione seu conversione aliquid commune utrique extremo, in prima mutatione aliquid commune physice, et per modum subjecti receptivi, sive sit materia prima pro diversis formis substantialibus, sive subjectum in actu pro diversis formis accidentalibus: in secunda autem conversione manet subjectum commune metaphysice, scilicet idem genus, v. g. corpus, substan-

tia, aut etiam ens quod est commune prædicabiliter utrique extremo mutationis, seu conversionis. In creatione autem nihil horum commune datur utique extremo. Non primum, quia non datur aliquid subjectum ex quo, et in quo fiat una forma, seu natura, et appellatur altera, aut saltem quod mutetur de privatione ad formam, hoc enim sufficere posset ad mutationem, dummodo subjectum daretur transiens de uno statu ad alium, de privatione ad formam: creatio autem nullum tale subjectum supponit, sed totum facit ex nihilo. Non datur etiam secundum, quia terminus a quo creationis est purum nihil, et terminus ad quem est ens in quantum ens: enti autem, et nihilo, non datur aliquod prædicatum commune, si quidem datur pura, et sola contradictio inter nihil, et ens: ergo nullum prædicatum commune. Non ergo salvatur aliqua ratio mutationis neque physica, neque metaphysica proprie loquendo.

XXIV. Dices: Salvatur mutatio ex parte termini ad quem, in quantum accipit esse ex non esse, transitus autem de non esse ad esse aliqua mutatio est, quia rei immutabili non potest convenire, et quia annihilatio, quæ est transitus de esse ad non esse, est mutatio, quia res desinit esse, et sic mutatur: ergo etiam e converso transitus de non esse ad esse est mutatio, quia est eadem ratio, et eadem contradictio inter utrumque extremum, nec aliquid commune est illis, etiam quando fit annihilatio: ergo si hæc est mutatio, etiam et creatio.

Respondetur probare hoc argumentum quod creatio admittit aliquam mutationem secundum intelligentiam nostram, non realiter ut admittit S. Thomas locis supra citatis. Vocatur mutatio secundum intelligentiam nostram vicissitudo, seu

variatio aliqua in esse, seu novitas essendi, quæ etiam immutabilitati opponitur, et est quid distinctum a mutatione, dicente Jacobo in epistola catholica, c. 1: *Apud quem non est mutatio, nec vicissitudinis obumbratio*, ubi vicissitudo condistinguitur contra mutationem. Et revera distinguitur, quia vicissitudo est diversorum statuum alternatio, seu novitas in esse, quæ attenditur etiam penes esse et non esse, ut quando aliquid in eodem esse non permanet, sed variatur esse: tunc enim intellectus apprehendit rem sub esse, et sub non esse, licet sub non esse non sit res ipsa, sed desitio rei, seu exclusio rei. At vero mutatio realis et propria supponit aliquid sub utroque statu quod transit de uno in aliud, aut saltem aliquid super quod cadat variatio et desitio essendi, quia oportet quod sit transitus de uno ad aliud, non autem transit quod non est, sed quod est. Itaque ad vicissitudinem sufficit novitas in esse, seu desitio in esse. Ad mutationem requiritur successio, seu transitus alicujus de uno in aliud. Si autem ex nihilo fit, non transit, nec succedit aliquid sub hoc, et sub illo, sed solum primo fit, seu incipit aliquid, sine hoc quod præcedat aliquid cui succedatur, et quod transeat. Unde ad replicam dicitur quod accipere esse ex non esse nihil præsupponendo non est transitus, nec successio, sed pura inceptio seu novitas essendi ex statu negativo non essendi. Et hæc etiam rei immutabili repugnat, quia esse immutabile est omnino idem sine ulla potentialitate, sed sub actu puro, quod repugnat vicissitudini, et alternationi in esse: sic enim in Deo non est vicissitudinis obumbratio, quia non est inceptio aut desitio, seu novitas alicujus rei in essendo.

Ad instantiam de annihilatione,

dicitur quod etiam annihilation non est proprie mutatio, sed desitio, seu non permanentia in esse, non autem mutatio per modum transitus, et commutationis extremorum, quæ convenientiam aliquam in eis postulat. Et uno verbo, idem dicendum est quoad hoc de annihilatione atque de creatione, quia annihilation est inverso modo creatio, ita ut id quod se habet ut terminus a quo in una, sit terminus ad quem in alia, et vice versa. Sed tamen mutatio secundum nostrum modum intelligendi majus fundamentum habet in annihilatione quam in creatione, eo quod annihilation præsupponit aliquid positivum quod desinit esse per annihilationem: creatio autem facit positivum quod in eo se tenet ex parte termini ad quem. Magis autem attenditur mutatio quantum ad positivum ex parte ejus quod præsupponitur, et antecedit, vel ex parte subjecti, vel ex parte termini a quo quam ex parte termini ad quem, eo quod in mutatione magis attenditur quod detur aliquid quod fiat hoc vel illud, aut desinat, quam quod de illo aliquid fiat.

XXV. Ex dictis etiam colligitur ad quod prædicamentum pertineat creatio, an videlicet sit de prædicamento actionis. Quod non procedit de actione active sumpta, ut ex parte Dei se tenet: sic enim est ipse Deus, non accidens aliquod, nec entitas ponibilis in prædicamento: sed difficultas est de actione effecta prout ex parte creaturæ se tenet. Et dicimus talem creationem non esse de prædicamento actionis, licet sit vera productio, et inceptio seu novitas essendi in ipsa creatura.

Ratio est, quia ad actionem de prædicamento actionis requiruntur duæ conditiones, quæ desunt creationi, et solum inveniuntur in mutatione, quæ subjectum supponit. Prima est, quod actio debet se ha-

bere per modum tendentiæ et viæ ad terminum; non per modum alicujus rationis præsupponentis ipsum in facto esse. Secunda est, quod sit actus accidentalis, et consequenter inhærens, et si est influentia, vel tendentia, inhærendo tendit, et influit. Cum autem non detur actio inhærens Deo, quia incapax est accidentium, oportet quod si actio ista inhæret, extra Deum sit, et consequenter habeat subjectum; non potest autem habere pro subjecto terminum quem facit, et in quem influit, quia si influit, et facit illum, non supponit, nec inhæret illi, quia non inhæret nisi existenti, ut existens, si quidem ab eo cui inhæret, esse habet, non autem influit, neque facit, nisi quod nondum existit; et sic repugnat utramque conditionem conjungere respectu termini creationis: ergo repugnat quod creatio ut ex parte creaturæ se tenet, sit de prædicamento actionis. Solum ergo ad hoc prædicamentum pertinent actiones, quæ in materiam subjectam agunt, et ex illa educunt formas, quod pertinet ad mutationem, quia supponunt aliquid cui inhæreant antecederet ad terminum suum, saltem ut subjectum quo, ut supra explicatum est. Creatio ergo solum est accidens inhærens termino habenti existentiam in facto esse; et sic non est actio quæ pertinet ad fieri, sed relatio quæ est dependentia rei in facto esse.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXVI. Primo arguitur ad probandum creationem esse aliquid distinctum a creatura tamquam medium, et influxus tendens ad ejus esse: etenim in omni causa efficiente debet dari causalitas, et influxus ejus in effectum, quia causa sine causalitate non operatur; et hæc

causalitas, seu influxus non est ipsemet effectus, cum effectus ex influxu nascatur et procedat, nihil autem procedit a seipso, et effectus habet dependentiam a causa, nihil autem dependet a se: ergo iste influxus, et tendentia seu dependentia debet esse distincta ab effectu producto et dependenti, tamquam quoddam fieri, seu via per quam ipse effectus fit. Quod inductione constat in omnibus effectibus causatis a causis efficientibus, in quibus ipsa dependentia, et influxus in effectum distinguitur ab illo ut medium ad hoc ut procedat, et fiat talis effectus: ergo idem erit in creatione, quia non minus est effectus, nec minus dependens ab influxu, et causalitate suæ efficientis. Nec potest dici quod hæc dependentia reducitur ad ipsam rem, quæ creatur, et est de essentia ejus, quia creatio non est substantia, aut qualitas, sed via ad illam, et productio ejus: substantia autem est quid absolutum et per se stans: ergo creatio ut actio, et ut dependentia distinguitur a substantia tamquam via et tendentia ad illam.

Et confirmatur, quia esse actu non est de essentia, et conceptu substantiæ creatæ: ergo nec actu dependere, imo multo minus ipsa dependentia, quam ipsum esse, quia dependentia est variabilis, manente re in eodem esse, ut patet, quia modo conservat Deus quantitatem in eucharistia sine subjecto, distincta conservatione, qua ante in subjecto eam conservabat: ergo si e converso prius Deus crearet quantitatem extra subjectum, et postea illam uniret subjecto, et conservaret dependentem ab illo, distincta dependentia conservaret quam prius produxerat, et tamen res esset eadem.

Respondetur distinguendo majorem: in omni effectu debet dari causalitas et influxus, distinguo; influ-